

FELICITER!

De

PRUDĒNTIA

CONSULTATORIA,
QUATENUS EA VERSATUR CIRCA
LEGE S,

Solenniter

D,

PRÆSES

M. CHRISTIANUS Weise/

In Illustri Augusteo Polit. Eloqv.

& Poës. Prof. Publ.

ET RESPONDENS

JOHANNES CHRISTOPHORUS UR-
BICHIUS, Cruciburgo Thuringus.

ad d. 3. Octobr. M DC LXXI.

H. L. Q. S.

LEUCOPETRÆ,

Literis HILDEBRANDIANIS,

V I R O
AMPLISSIMO AC EXCELLEN-
TISSIMO
DNO. CASPARI E-
SAIÆ Siegfriedten /

Illustris Augustei Rectori, in
eodemque Metaph. & Logic, Professore
ordinario, Physices extraordinario,
undiquaque celeberrimo,
PATRONO, PRÆCEPTORI STUDIO-
RUMQUE SUORUM PROMOTORI
OPTIMO

Istud valedictoriæ disputationis specimen,
in ulteriorem sui recommendationem,
quâ par est observantiâ,
sacrum esse jubet

abiturus propediem

JOHANNES CHRISTOPH. Urbich.



I. N. J.



Um de LEGIBUS nuper disputaretur, & imprimis id occurreret, quod pertinere videbatur ad PRUDENTIAM LEGISLATORIAM; tandem deprehensum est, aliquam hoc loco PRUDENTIÆ CONSULTATORIÆ requiri cognitionem. Hanc igitur suscepturi tractationem ANGELUM MAGNI CONSILII, sine quo hominum friget consultatio, ardentem imploramus, velit omnia ad felicem scopum dirigere, ne materiam periculosis quæstionibus plenissimam, cum nostro periculo expediamus.

Theol. I.

Et initio quidem recurrit quæstio, quam supra tactam meminimus, quid sit Prudentia Consultatoria, & quomodo à Legislatoriâ differat? Certè quæ ibi dicta sunt, eò videntur tendere, Legislatoriam maximè referri ad honestum; Consultatoriam primario spectare ad utile.

II. Honestum verò & utile quomodo discrepent, is intelliget facilè, qui noverit, quantum à se invicem absint *finis & media ad finem*. Honestum enim est quod appetitur per se, & proinde ipsum finem repræsentat: Utile autem est quod appetitur propter aliud, & ideo media repræsentat, quæ vergunt ad finem.

III. Et ista dixisse sufficerent, si versaremur adhuc in statu integritatis, ubi sine dubio nihil fuisset utile, nisi quod simul honestum. Nunc autem ubi hominum ita regnat corruptio, ut pro virtute sit vitiis carere, mirificè etiam separata fuit Honesti & Utilis natura. Mox enim finem apparentem,

quæ reversa finis non est, apprehendi; mox ad finem verum collimantes, inhonestis uti mediis videmus. Ex quo fit, ut vitæ commoditates v. g. Honor, potentia, Divitiæ, securitas, &c. quæ virtutis instrumenta esse debent, in maximum trahantur abusum & adeo Honestas ac Utilitas longis parasangis videantur distare.

IV. In tali autem terminorum varietate ac confusione, vix est ut in distribuendis Prudentiæ partibus aliquam speremus lucem. Melius fortasse fuerit respicere ad *statum naturalem & legalem*, quæ distinctio quid proferat in doctrinâ morali, accuratissimè demum exposuit *Cl. Thomasius*.

V. Status naturalis seu idealis est, qui naturæ sequitur perfectionem, & omnimodam rerum rectitudinem supponit: Status legalis sive possibilis est, qui naturæ sequitur imperfectionem, eamque requirit rectitudinem, qualis in corruptis hominum animis sperari potest. Legalis verò dicitur, non à lege naturæ, sed in respectu ad leges positivas, quarum usus esset nullus, si homines suâ sponte naturales explerent notitias, nec potius per legum vim cogi, quam virtutis amore dirigi mallerent.

VI. Jam ita dicamus. Prudentia Legislatoria est (intellige quam Aristoteles vocat architectonicam) quæ maximè respicit statum naturalem & perfectum: Consultatoria est quæ disquirat, quantum perfecta ea principia locum inveniant in statu imperfecto & legali.

VII. Clarior adhuc evadet distinctio, si utriusque status finem attendamus. In statu naturali dubium non est quin pro fine agnosatur *εὐδαιμονία* sive ea felicitas quæ in virtutis operatione collocata est: Interim in statu legali, licet ejusmodi bestialitas non statuatur, quæ ex professo malum svadeat aut libenter toleret; ita tamen res comparata est, ut vix obtineri queat optabilis ea *εὐδαιμονία*, & sufficiat præcavisse dissolutionem societatis.

VIII. Exinde sequitur, Prudentiam Legislativam esse quæ pro fine ultimo agnoscat Summum Bonum Ethicum, quod videlicet, ut modò dictum, in virtutis operatione consistit:

sistit:

fitit: Consultatoriam esse, quæ pro fine ultimo libenter quidem agnoscere cupiat Summum Bonum Ethicum; sed tamen si aliter fieri nequeat, acquiescat in Reip. conservatione, quam, ut vulgaris vocabuli acceptio est, vocare possumus Summum Bonum Politicum. Confer quæ de analogicâ hac boni divisione habet *Thomasius Phil. Pract. tab. III. lin. 38.*

IX. Neque nunc obscurum ulterius est, cur thes. 1. Legislatoriæ ascripserimus honestatem; Consultatoriæ utilitatem. Quod enim cum Virtute conjunctum est, honestum dicitur; quod autem formaliter ad sui conservationem respicit, utile vocatur.

X. Sed accedamus propius ad Consultatoriam, quæ itidem distinguitur in *rectam & corruptam*. Recta, quæ solæ prudentiæ nomen meretur, utilitatem aliam non intendit, nec alia eligit media, nisi quæ honestati respondeant, aut, si clarius loquendum est, quæ non sint inhonesta; Corrupta verò quam rectius calliditatem aut astutiam dixeris, neglectâ omni honestate, nihil non eligendum statuit, quod saltem aliquam utilitatis præ se fert speciem. Et ne in hoc passu obliviscamur eorum quæ supra diximus, aliud est Prudentiam sequi statum corruptum, aliud eam ipsam esse corruptam. Nam quæ statum corruptum sequitur, nihilominus quoad licet, cum eâ corruptione luctatur & pugnat, atque ideo ad veram semper respicit perfectionis ideam, intercedente saltem imperfectionis tolerantia: at quæ corrupta est, corruptioni obsequitur, ac naturæ imperfectionem pro lege statuit. Id quod strenuè præstitit Machiavellus, Hobbesius & multi alii.

IX. Alia Prudentiæ Consultatoriæ distinctio est in *docentem & utentem*. Docens est facultas cognoscendi media & modos idoneos ad instituendam conservandamque Rempubli-
cam: Utens est facultas illa ipsa media ad usum accommodans. Illa propius accedit ad theoriam; hæc in ipsa praxi observatur. Vide quæ differit *Magnif. Conringius Doctrin. Civil. Cap. 9. p. 169. seq.* Magna verò inter utramque differentia est. Docens enim tam de bonis quam de malis mediis agere

solet, sicut Logicus de bono & malo syllogismo; Medicus de herbis salutaribus pariter ac venenatis sollicitus est: Utens verò non nisi bona observare debet media, nisi, ut supra dictum, corruptæ naturam velit induere.

XII. Interim qui versamur in cathedra philosophicâ, cogitationes nostras convertimus potius ad Docentem, cujus etiam duæ sunt partes, *Communis & propria*. Communis docet quid in genere profit omnibus Rebus. Propria descendit ad species, quid profit Monarchiæ, quid Aristocratix, quid Democratix: imò quid specialissimè profit Germaniæ, Hispaniæ, Galliæ, &c.

XIII. Neque tamen impræsentiarum exhaustiendæ sunt istæ partes, cum de Legibus saltem disseramus, quæ per hanc diriguntur Prudentiam. Hinc quoniam nihil sub Consultationem cadit nisi quod dubium est, & in utramque partem disputari solet, (nam quis de rebus certis velit consultare) optimè videtur procedere negotium, si præcipua quædam dubia proferamus, quorum obscuritas consultationem circa leges sæpè reddit difficilem: relictis interim quæstionibus specialioribus usque ad aliam occasionem.

XIV. Quæritur itaque 1. *An faciendæ sint mala, ut exinde eveniat bonum?* 2. *An utile præferendum sit honesto?* 3. *An utilitas Imperantis privata anteponenda sit utilitati Reip.*

XV. Istis itaque expediendis nos accingimus, ita ut altero quidem oculo respecturi simus ad statum naturalem; sed tamen quasi nunquam obliti, quod versemur in statu legali. Faciunt hoc Medici, qui cum optimam in curando sanitatem intendant; contenti nihilominus sunt, si qualemcunque corpusculi conservationem non sine levibus morborum reliquiis obtineant: cum ex adverso multis contingat, quod Cicero ad Att. lib. 2. ep. 1. de Catone conqueritur, qui optimo animo utens & summâ fide, nocebat interdum Reip. nimirum dicebat (ita causam addit Cicero) *tangquam in Platonis πολιτεία, non tangquam in Romuli fece sententiam*. Sed redimus ad institutum, & proponimus.

DU-

DUBIUM I.

AN FACIENDA SINT MALA, UT EXIN- DE EVENIAT BONUM?

XVI. Negativam tenet Apostolus Rom. 3. 8. cui contradicere nefas est. Sed tamen portentosa in omnibus vocabulis occurrit ambiguitas, ut simpliciter nec affirmativam rejicere, nec negativam defendere possimus. Ad tollendam igitur æquivocationem non incommodum fuerit quærere 1. *quid sit malum?* 2. *quid sit facere malum* 3. *quid sit bonum, quod facto malo evenire debeat?*

XVII. Mali prima divisio est in *physicum & morale*. Physicum denotat absentiam perfectionis naturalis; morale arguit absentiam virtutis. Medium quasi locum obtinet *malum fortune* quod absentiam innuit boni, quod fortunæ appellatur e. g. divitiarum, honoris, &c. Sed cum versemur in quæstione morali, vix est cur eam de aliis intelligamus malis, quàm de moralibus. Nam de ipsa utilitate aliter non loquimur, nisi quatenus alicujus moralitatis fit particeps.

XIX. Mala verò moralia, aut strictè ita dicuntur, quatenus virtuti alicui opponuntur, quæ per legem naturæ nota est: aut sensum habent laxiorem, ut quoque comprehendant mala doctrinalia, quæ puriori religioni adversantur. Et ista quidem hæretica iterum duplicia sunt: eorum enim falsitas aut è naturâ potest convinci, quemadmodum se habent aperti Athei & Anabaptistæ, qui Magistratus exterminare volunt; aut errores ejusmodi sunt, ut cum naturâ directè non pugnent, neque ex eâ apertè convinci possint, nisi per consequentias, quo referuntur non modo Pontificii, & alii qui Christum profitentur; sed Judæi etiam, Turcæ, &c. Et sanè si ista mala considerentur in se, doctrinalia æquè gravia sunt ac moralia: at si considerentur quoad nos, moralia videntur graviora, quippe quæ cognosci melius possunt, cum reliquorum cognitionem Deus conscientiarum iudex sæpiùs sibi reservaverit.

XIX. Nova distinctio est inter mala *commissionis & omissionis.*

nis. Commissionis quæ sunt, expressam mali perpetrationem ponunt: Omissionis verò solam boni desertionem arguunt. Et profectò si ea sint in eodem genere minor est turpitudine omit- tentis quam committentis. Ibi enim mera boni est privatio; hic præter istam privationem positivus aliquis intercedit actus, qui è natura sua bono contrarius est. Sic levius est Parentis iussa negligere, quam eundem verberare. Sed in eodem ge- nere institui debet comparatio, nec valet e. g. si dicas negle- ctum cultus divini esse minorem furto vel homicidio.

XX. Mala porro aut sunt formaliter talia, aut per conse- quentiam. Quæ per consequentiam, iterum sunt duplicia, nimirum consequentia mali aut est in culpa agentis, aut non. Hujus exemplum est, si artifex industriâ suâ & dexteritate re- liquis artificibus magnam reddituum partem præripiat; vel si mercator pretio tolerabiliore emptores ad se alliciat, cum ali- quo detrimento reliquorum negotiatorum. Sed ubi culpa a- gentis ad malum consequens quicquam contribuit, exempla esse queunt varia, præsertim si Actorum distinctionem atten- damus, quibus Culpa est *lata*, *levis* & *levissima*, & lata quidem dolum in se continet, levis negligentiam inexcusabilem, levissi- ma negligentiam excusabilem arguit. De dolo non est cur multa dicamus, quia ipsa proæresis jam mala est: negligentia (quæ propriè culpa vocatur) exempla affert *Grotius lib. 2. cap. 17. n. 12.* unum ex Seneca, incendientis platanum, unde vicina domus arserat: alterum ex Strabone, Ariarathis Cappadocum regis, qui, obstructo Melani amnis exitu, effecerat, ut per- rumpens ejusdem vis Euphratem propelleret in magnam Cap- padocia, Galatia & Phrygia partem.

XXI. Sunt etiam actiones quarum consequentia est du- bia, & tam facilè ad malum quam ad bonum inclinât, quale exemplum *Grotius lib. 2. cap. 24. n. 5.* profert de Medico, qui gravioribus morbis periculosas ac ancipites adhibet curatio- nes, unde & sanitas & mors dependere potest.

XXII. Interim maximè necessaria divisio est Malorum in *vera* & *apparentia*. Sæpè enim pro malis communiter agno-

gno-

gnoseuntur, quæ mala omninò non sunt. Et fanè causa istius confusionis duplex est, aut status naturalis à legali non discernitur, aut bona inter se non comparantur. Cæterùm quomodo bona inter se comparari debeant, ut privata cedant publicis, publica divinis, sufficienter dictum est disputatione superiore *cap. 2. thes. 11. 12.* Jam saltem exemplis illustremus, quid noceat utriusque status confusio.

XXIII. Nota est controversia de mendacío officioso, cujus naturam aliqui cum Scoto, Thoma, Bonaventurâ & imprimis Augustino pessimam faciunt & detestabilem. Sed isti quidem rectè sentiunt in respectu ad statum naturalem, ubi remotâ omni imperfectione, nulla emergeret mentiendi causa; verum enimverò in statu legali res multò se habet aliter. Hic enim in tam multiplici impostorum copia, par pari sæpiùs referendum, e. g. si incendiarius aut fur petat diversorium, periculum verò sit, si neget apertè Paterfamilias, ne exacerbetur homo nequam; cur mentiri non liceat, nullum conclave esse vacuum? Accedit ad hoc multorum stupiditas, qui ad bonum dirigi nequeunt citra deceptionem. Sic infans ægrotus, si excurrere velit in auram liberiolem, matris admonitionem non caperet, si ea diceret, morbum exinde fore periculosiorem; abducendus igitur per mendacium est, manducum aut crudelem virum esse foris. Et par ratio est plebejorum, qui in negotiis civilibus vix circumspectiores sunt pueris. Inde pulchrè *Boxborn. Instit. polit. lib. 1. c. 15. §. 10. Teguntur, inquit, arcana, si animi subditorum, cum rationis non sint capaces, aut adversi rationi, loco rationis opinione i. e. specie rationis occupentur.* Atque hoc est, quod Plato dixit, imperare esse nihil aliud quàm legitimè fallere populum. Imò qui mendacium maximè impugnant, in Medicis, qui ægrotos decipiunt, non dicunt esse mendacium, sed solertiam, *Osiander ad Grot. lib. 3. cap. 1. p. 1328.* Id quod idem sonat, ac si dixissent, non esse mendacium malitiosum, sed officiosum. Concludo verbis *Gerhardi Loe. Theol. de Leg. Dei §. 176. Cum nec officioso nec jocosò mendacío conditiones mendacii propriè dicti conveniant, ideo in illis condemnandis baudquaquam precipites nos esse convenit.*

B

XXIV.

XXIV. Idem ferè accidit *Diffidentia & Simulationi*, quas *Lipsius Civil. Doctr. lib. 4. cap. 14.* svadere videtur, quod tamen caput à *Prasibio de Mendac. thes. 3.* cauda serpentis dictum fuit. Istud sanè magis displicet, quod *Lipsius* statuit, diffidentiam & simulationem malitiæ rore leviter asperfas, nisi expressè addatur hoc, malitiæ rorem adesse respectu status naturalis, abesse respectu status legalis. Plura vide ap. *Conring. Civil. Prud. cap. 2. p. 19.* ubi hæc subjicit verba, *iniqum fore pronuncio, si cum exigis salus publica, horum aliquid negligatur.*

XXV. Sed de malo satis dictum est, videamus nunc, quid fit facere malum? Et quidem hic aliquis concurret, ut causa physica, dum ipse actionem producit; aut accedit ut causa moralis, dum alterum svadendo aut jubendo impellit, vel ad minimum connivendo consentire videtur. Quod eos attinet, qui svadent aut jubent, in eodem apud nos respectu sunt, ac illi, qui physicè cooperantur *vid. Grot. lib. 2. cap. 17. n. 10.* de iis autem, qui permittunt saltem, molliùs judicandum videtur.

XXVI. Restat, ut de bono dicamus. Quando enim quaeritur, an faciendum sit malum, ut exinde eveniat bonum? non intelligitur bonum quodvis, sed quod necessarium est. Tunc si finis est necessarius, necessarium quoque creditur esse medium, quod solum acqvirendo bono aptum est. Cæterùm idem boni h. l. respectus est, sive id consistat in positivâ bonitate, sive in declinatione mali, quæ vicem bonitatis exprimit. His præmissis jam fiat applicatio.

XXVII. Et primò quod concernit eos, qui physicè aut moraliter cooperantur, iis integrum non est facere mala, quæ moraliter mala sunt, quem sensum habet dictum *Rom. 3. 8.* Datur tamen limitatio circa mala omissionis. Sic sanctificationem Sabbathi impedit casus necessitatis; *Gerhard. de Leg. Dei §. 142.* & Parens qui per legem naturæ ad alendum filium astringitur, urgente necessitate eum deserere potest. *Osiander ad Grot. lib. 2. cap. 5. n. 5.* Nam isti casus referuntur ad mala apparentia, cum actus per necessitatem sive externum impediens fiant impossibiles, & tamen credibile non sit, Deum legis auctorem

tozem

rorem postulasse impossibilia. Altera limitatio est circa in-
differentia, quæ dum ad unius finem diriguntur, alteri nocent.
Sic ad servandam civitatem, cum damno multorum incendun-
tur suburbia: neque Christiani captivi peccant, si in navibus
Turcarum pugnent adversus Christianos. Non enim prima-
riò intenditur istud malum, sed quasi per accidens supervenit
intentioni ad bonum. Vide quæ Zieglerus disserit de intentio-
ne primariâ & secundariâ *not. ad Grot. lib. 2. cap. 1. §. 5. p. 192.*

XXII. Sed objiciat quispiam fieri quoque posse ma-
lum commissionis, ut exinde eveniat bonum: nam ad servan-
dam vitam interfici posse aggressorem. Verùm, ut nihil di-
camus de intentione, quæ potius directæ esse debet ad sui de-
fensionem quàm ad alterius interfectionem, certè si quæ talis
homicidii est justitia, ea potius ex pœnâ fluit, quæ justè infli-
gitur aggressori. Nam cessantibus judiciis, ubi saltem defensio
licita est, unusquisque vel momentaneè vel continuè in Magi-
stratus locum succedit. *Conf. Grot. lib. 1. cap. 3 n. 2.*

XXIII. Videamus nunc de iis, qui mala saltem permit-
tunt, sive id fiat connivendo & non puniendo, sive per expres-
sam sanctionem constituatur permissio. Et hic dubium non
est de iis, quæ thesibus superioribus allata sunt, quibus permit-
ti possint. Quæ enim tutò quis facere potest, tutiùs sanè po-
terit permittere. Quæstio igitur est, an mala doctrinalia sive
religionis, & mala moralia debeant in casu necessitatis per-
mitti

XXIV. Id equidem ex supra dictis patet, citiùs permitti
posse doctrinalia quàm moralia, quippe quod moralium mali-
tia clariùs judicari possit ab hominibus. Sed tamen utrumque
permitti potest in casu necessitatis. Nam ipse Christus Matth.
13, 29, Zizania toleranda esse innuit, nec ignotum quantâ
mansuetudine Deus Judæorum divortia ob eorum *σκληροκαρ-
διαν* permiserit Matth. 19, 8.

XXV. Ipsam verò asserti rationem pulchrè proponit
Zieglerus in *Grot. lib. 1. cap. 1. n. 17.* Permittunt, inquit, quia tol-
lere sine Reip, concussionem non possunt, non approbant; non

puniunt, ne utique tamen svadent aut mandant; circumscribunt, limitant, imminuunt, quantum possunt, non tollunt aut ponunt, sed in medio relinquunt. In ejusmodi enim legibus circumscriptivis duo continentur actus: Alter est nuda permissio, - - & in hoc differt voluntatis objectum, ab objecto permissionis. Dum permittit Legislatoꝝ, permittit immediate malum: dum vero vult permittere, non vult immediate malum, sed NB. permissionem mali - - Alter actus est circumscriptio, limitatio & modificatio, &c.

XXXII. Id tamen addendum, intelligi id non debere de malis, e quorum permissione bonum aliquod fluit, ita ut ex altera parte oriatur gravius malum. Sic Lupanaria, si adulteriorum & Sodomiarum aliquem cursum inhibent, vice versa plures corrumpunt, qui alias peccaturi non fuissent.

XXXIII. Ultimo id monendum, permissionem mali, quæ in casu necessitatis statuitur, nemini dare peccandi impunitatem, sed æquè obligari delinquentes in conscientia, ac si nihil fuisset permissum. Sed pergimus ad

DUBIUM II.

AN UTILE PRÆFERENDUM SIT HONESTO?

XXXIV. Attigit hanc controversiam Cicero lib. 3. de Off. quod scriptum, ut *Grotius* judicat in epistola ad *Benj. Auber. Maurerium* non suo pretio habetur, ideò, quod omnium manibus teritur. Totus etiam in eâ est *Conringius Civil. prud. cap. 2.* sed ad intelligentiam Autorum præmittendæ sunt distinctiones, quotupliciter accipi soleat Utile, quando id Honesto opponitur: nam de Honesto nihil addimus, quippe quod in conformitate cum Jure naturæ consistit, & in stricto hoc sensu jam accipitur.

XXXV. Et primò quidem Utile honesto opponitur *con-*
trariè, quatenus Legem naturæ aperte violat, quod contingit, si finis, qui ultimus non est, habeatur pro ultimo, & omnia, ad ejus acquisitionem facientia, habeantur pro licitis.

Uti-

Utiles in hoc sensu sunt Latronum rapinae, Principum ambitiones, foederatorum perjuria, amicorum inimicorumque fraudes & fallaciae.

XXXVI. Porro Utile honesto opponitur *privativè*, quatenus Lex naturæ non violatur quidem: sed prætermittitur seu negligitur, id quod accidit in Rebusp. ubi si finis ultimus sive virtutis operatio obtineri nequeat, acquiescitur in fine intermedio, ita tamen ut mala non adhibeantur media. Pertinet huc distinctio, quam elicere possis è *Grotii lib. 1. cap. 1. n. 3.* honesti in sensu agente, & negante, ubi sensus negans ejusmodi actum denotat, qui inhonestus non est, si vel maximè strictam & positivam honestatem non includat.

XXXVII. Tandem Utile honesto opponitur ut determinatum in determinato. Quædam enim in Lege naturæ occurrunt, quæ pro hoc rerum statu ad magnum aliquod commodum determinata sunt; quædam ejusdem commodi determinationem non habent, e. g. Nocentes esse puniendos dicitur natura; sed ejusdem est dictatum innocentes esse servandos. Jam incidere potest tempus, ubi nocentes aliter puniri nequeant, quam cum excidio multorum innocentium. Ea igitur pars respicitur, quæ determinationem habet ad præsentem utilitatem, & suspensâ poenâ, servantur innocentes. Sic in his legibus, expellendos esse hæreticos, fovendos orthodoxos, sæpè fit, ut altera sit utilis, altera minus utilis. Adde quæ supra diximus de collatione bonorum privatorum, publicorum & divinorum.

XXXVIII. Jam sic dicimus. Utilia in sensu primo *ib. XXXV.* nunquam sunt præferenda honestis, quia mala præferenda non sunt bonis. Si etiam aliquis consilia laudare velit Machiavellica, reponimus, quod habet Conringius l. c. cap. 2. p. 11. *Multa vobis imponunt specie utilitatis, cum utilia non sint, & paulò post majore damno lesam ad breve tempus honestatem quasi vindicent.*

XXXIX. Utilia quod attinet in sensu altero *ib. XXXVI.* de istis aliter judicandum est in statu naturali, aliter in legali.

Sanè qui versantur in statu legali, sæpò coguntur, id quod in-
honestum non est præferre eo, quod honestum est. Hollandi
quærent divitias: Veneti antiquum splendorum obtinere cu-
piunt: Helveti solâ libertate contenti sunt, Turca potentiam
bellicam spirat. Et in his quidem virtus, ad quam abire de-
bent divitiæ, splendor, libertas, potentia, non expressè po-
nitur, sed tamen expressè non negatur. Sicut etiam media ad-
hibentur non omninò mala. Hollandi mercaturam & navi-
gia excolunt: Veneti emptam admittunt nobilitatem: Helve-
ti superfluos incolas quasi vendunt: Turca scholas militares è
Christianorum liberis instaurat.

XL. Et ex hoc capite multarum Legum approbatur utili-
tas, cùm ea videlicet inhonesta non est. Sic in Anglia prohi-
bitum est lanam crudam aut paratam pecuniam exportare: in
Svecia cupri infecti mercatura non toleratur: Hodie merces
Bataviæ in Galliâ, Gallicæ in Batavia durissimis premuntur
vectigalibus: In eâdem Bataviâ à libertate mercaturæ Indiæ O-
rientalis excluduntur, qui non sunt membra Societatis, &c.

XLI. Sed videndum de Utilibus in sensu tertio *ib. XXXVII.*
de quibus, quia ipsa simul honesta sunt, dubium non est, quin
præferri debeant honesto minus utili. Bonum enim majus
præferendum minori: Majus autem esse creditur, quod hone-
stati superadditam refert utilitatem. Et sciendum de Lege na-
turæ, quod ista quidem omnes homines obliget, sed non in
omni statu. Sic lex data Parentibus & Magistratibus non ob-
ligat filios & subditos; lex data divitibus non obligat pauperes
&c. Sic igitur etiam Lex quæ alteri est innoxia, alterum obli-
gare nequit, qui exinde paratissimum excitaret damnum.

XLII. Nunc verò intelligimus, quid velit *Pufendorf. Ele-
ment. Jurispr. lib. 1. def. 13. §. 18.* Verè, inquit, dictum est utilita-
tem esse matrem juris civilis sive hanc dedisse causam ad illud
constituendum. Nam nullâ alia re quàm utilitate seu bono
publico dijudicatur, quibusnam legibus naturalibus in hâc vel
illâ Rep. effectus juris civilis assignandus, quibus non sit; quæ
constitutiones Juri naturali superaddendæ, quomodo penæ
intro-

introducendæ; quibus ferè capitibus jus civile absolvitur. Jam
pergimus ad

DUBIUM III.

AN UTILITAS IMPERANTIS PRIVATA ANTEPONENDA SIT UTILITATI REIP.?

XLIII. Comparavimus utilitatem cum honestate, nunc ipsæ utilitates comparandæ sunt inter se. Princeps enim in condendis legibus aut respicit salutem Reip. h. e. omnium subditorum, aut suos suæque familiæ privatas opes intendit. Jam notum equidem est, in scholis Politicorum Resp. rectas eas vocari, in quibus observetur commodum publicum; corruptas verò esse, quæ inhiant utilitatibus privatis, & hinc videtur, vix opus fuisse talem movere quæstionem.

XLIV. Sed si Politicorum istas rectas Resp. inspiciamus, videntur isti nimis inclinare ad statum naturalem, cum in legali sæpè citra corruptionem Principes quærere videamus privatam suam commodum, nec, ut loquitur *Conringius Civil. Prud. cap. 5.* omnis *παρένθεσις* universam recti naturam perdat, perinde atque nasus sic satis deformis eo ipso tamen nasus omninò esse non desinit. Exemplum habemus in Regnis Orientalium populorum, quæ ita plerumque sunt herilia, ut non nisi secundariò subditorum quærat utilitas *vid. omnino Conring. loc. cit.*

XLV. Quare sic dicimus: Aut commodum Imperantis quæritur consensu subditorum, & hic ad dubium nostrum responderetur affirmativè: aut consensus subditorum non adest, & hic licet ea subditis adimi queant, quæ in necessitatem Reip. adhibendæ sunt, non tamen extendi debet licentia, ad quamcunque privati status Aulicique splendoris necessitatem.

XLVI. Interim obstat Lex Regis *1. Sam. 8, 14.* *Agros vineas & oliveta optima tollet, & dabit servis suis.* Unde aliqui eliciunt Dominium aliquod eminens, quod Principi relictum

dictum sit in bona singulorum, cujus tamen pondera, alio aliquando loco melius examinanda, nunc attingere non possumus. Sanè quod dictum Samuelis attinet, pace reliquorum Theologorum qui secus sentiunt, id maximè nobis probatur, quod habet Andreas Osiander ad hunc locum: *Describuntur regis mores, non qui ipsum deceant, sed qui Monarchis ut plurimum sunt familiares. Non igitur approbat vox divina ea, quæ contra officium Reges admittunt.* Subjicit deinde exemplum Achabi ob ereptam Nabotho vineam graviter puniti.

XLVII. Cæterum ubi evolvimus Zieglerum ad Grot., lib. 3. cap. 2. §. 2. fundamentum distinctionis suppeditatur, quæ rem expediat. Aut privata principis utilitas consequenter attingit salutem Reip. aut non. Si non, vix est, cur Princeps ab injustitia se possit absolvere: Si autem salus aliqua consequitur, dabit Prudentia excusationem. Magnum enim sæpè momentum in eo positum est, an Populus Principem habeat exteris quoque formidabilem ac venerabilem. Inde, quæ verba sunt Ziegleri l. c. ut sumptus aliqui voluptuarii fiant, ipsa humana jubet conditio, & difficile sæpius est sumptus utiles & voluptuarios discernere, cum tantas tutela provinciarum & regimen Politicum exigat impensas, ut privati vix capiant.

XLIX. Quod si de cætero Princeps abutatur sua potentia, cogitandum est, quod differit Æneas Sylvius de ort. & autor. Imper. Rom. c. 16. *Tolerandum est patienter, quicquid Princeps facit iniquè, expectandaq; vel successoris emendatio, vel supremi Judicis correctio, qui violentias & injurias non sinit esse perpetuas.* Atque hæc de dubiis Prudentiæ Consultatoriæ generalibus dicta sufficiant. Quæ addi deberent de Ratione Status seu Statistica, cum angustia chartæ ea non recipiat, alio loco tractabuntur commodius. Interim

SAPIENTIÆ INCREATÆ GLORIA!

